


Kern 251
(1-12)



(8)

DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA
DE
NATVRA
MORBORVM CONTAGIOSORVM
GENERATIM SPECTATA



QVAM, INDVLTV
GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS
IN ALMA REGIA FRIDERICIANA
PRAESIDE
D. ANDREA ELIA BÜCHNERO

SACRI ROMANI IMPERII NOBILI,
POTENTISSIMI PRVSSIAE REGIS A CONSILII INTIMIS,
MEDICINAE ET PHILOSOPHIAE NATVRALIS PROFESSORE PVBL. ORDINARIO,
FACVLT. MED. ET PHILOSOPH. H. T. DECANO, REGIOR. ALVMN. EPHORO,
IMPERIALIS ACAD. NAT. CVRIOS. PRAESIDE ET COMITE PALAT. CAESAREO,
REGIARVM SOCIETATVM SCIENTIARVM, ANGLICANAE, BEROLINENS.
ET MONSPELIENS. SODALI,

PRO GRADV DOCTORIS

SVMMSQVE IN MEDICINA HONORIBVS
ET PRIVILEGIIS DOCTORALIBVS RITE CONSEQVENDIS

D. VI. IANVAR. A. R. S. MDCCCLXIX.

PVBLICE DEFENDET

AVCTOR

IOANNES CAROLVS HENNING

SEDINO - POMERANVS.

HALAE AD SALAM, AERE HENDELIANO.



DISSECTIO
DE
NATURA
MORBORUM CONTAGIOSORUM
GENERALI SECTATA

GRATIOLI MERICI VMDICINIS
P. R. A. F. S. I. D. E.
D. ANDREA ELIA BOCHNERO

POTENTISSIMO INVSIVSIBILIUS A CONSENSU
MEDICAE ET PHISICAE FACULTATIS
ACADEMIAE S. MARCI
VENETAE
ACADEMIAE SOCIETATIS
P. R. A. F. S. I. D. E.

PRO GRADU DOCTORIS
EXAMINATUM ET DEFENSEM
ET PUBLICE DOCTORALIS
D. D. F. S. I. D. E.
P. R. A. F. S. I. D. E.

IOHANNES CAROLVS HENNING

HABAE AD SALAM AERE HENNING





§. I. *Definitiones.*
Morbus, qui eius est indolis, vt possit in sano corpore, materialem eius causam ab aegro suscipiente, sibi similem producere, vocatur *contagiosus*. Materialis illa causa dicitur *materia contagiosa* aut *miasma*. Actio materiae contagiosae in corpus sanum, qua in hoc eum, quem in alio excitauerat, morbum ingenerat, nuncupatur *contagium*, inque *contagium per contactum & in distans* abit. *Contagium in distans* factum esse asseritur, quando materia contagiosa mediante tantum aëre corpus sanum subiit. Quodsi vero eiusdem materiae transitus ob contactum aegri, aut rerum miasmate infectarum, factus sit, *contagium per contactum subnatum* esse affirmatur.

§. II.

Enumeran-
tur morbi
contagiosi.
Febres con-
tagiosae.

Historica morborum contagiosorum enumeratio eorum theoriae multum adfundit lucis, vt ergo illam praemittere opus sit. Atque primo quidem inter febres magna morborum contagiosorum obseruatur caterua. Referri huc debent, quas dicam. I. *Pestis*. Vide SCHREIBERI *Obseruat. & Cogitat. de Peste*, &c. CHENOT *Tract. de Peste*. Vienn. 1766. & alios, qui pestem descripserunt, vnanimi consensu fatentes, pestem esse contagiosam, innumeris simul hoc assertum obseruationibus confirmantes. II. *Variolae*. Docet id vel ipsa insitio. III. *Morbilli*. Testantur id morbilli artificiales, a celeberr. HOME excitati. Confer EIVS *medic. Beobacht. vnd Versuche*, pag. 210. seqq. IV. *Petechialis morbus*. vid. HOFFMANNI *Medicin. ration. systemat.* Tom. IV. Part. I. pag. 260. 278. 279. 283. STRACK *de Morbo cum petech.* pag. 77. seqq. Suadet etiam nexus petechiarum cum peste, variolis & aliis morbis, certo certius contagiosis. V. *Febris hungarica*, petechiali similis, sed malignior. Testis est non incelebris autor *Martinus RVLANDVS (de Morbo hungarico recte cognoscendo & feliciter curando*. Lips. 1710. pag. 192. 208. 335. seqq.), adeo de vi huius morbi contagiosa conuictus, vt pag. 335. in haec etiam verba erumpat: *Qui hanc luem hoc priuabit encomio, dignus esto, qui tam diu cum ea febre correptis versetur, tum, hausto seminario, ipse confiteatur, pari se teneri affectu, quos eodem, mox alios, haud immunes oculis viderit.* Ipsa quoque huius morbi cum

cum febre petechiali similitudo idem confirmat. VI. *Purpuracea febris*. Confer. ALLION *de Miliaribus*, pag. 78. de FISCHER *Tract. de Febre miliari, Purpura alba dicta* (Rigae 1767), pag. 116. Vterque manifesta exempla contagii recenset, quibus facile plura, si opus esset, addi possent. VII. *Sudor Anglicus*. Suadet analogia eius cum peste, sudor graecolens, sanguis putredine summa corruptus. Confer. WILLIS *Pharmac. ration.* pag. 144. SENNERTVS *de Febr. Libr. IV. Cap. XV.* VIII. *Scarlatina febris*, de qua vid. PLENCIZ *Oper. medico-phys.* *Tract. III.* pag. 61. qui vim scarlatinae contagiosam maiorem esse censet, quam in variolis & morbillis. Consentit ROSEEN *in der Abhandl. von den Kinder-Krankh.* pag. 510. & 514. IX. *Dysenteria*. Consentiant omnes. Confer. interea DEGNERI *Histor. med. de Dysenter. bilioso-contag.* & ZIMMERMANN *von der Ruhr*, pag. 342 seqq. X. *Febres nonnumquam catarrhales benignae*. Confer. HOFFMANN. l. c. pag. 126. Multo vero magis malignae, quarum indoles ad petechiales & purpuraceas febres proximius accedit. XI. *Febres putridae biliosae*. Quamvis enim MOVLTRIE, qui merito laudatur, quando febrem malignam biliosam Americae describit, non multum eius contagio faueat: tamen concedit, aërem loci, in quo decumbit aeger, breui exhalationibus acris & semiputridis repleri, huncque infectum, sanos aequae ac aegros non sine damno inhaurire. Vid. eius *Diff. de Febre malign. bilios. Amer.* pag. 9. XII. *Febres nonnumquam in-*



termittentes. Confer. b. m. Ioann. IVNCKERI *Conspect. Therap. spec.* pag. 662. XIII. *Synochus putrida.* Confer. Perillustr. van SWIETEN *Commentar. in Aphorism.* BOERHAAVII, Tom. II. pag. 421. seqq.

§. III.

*Spasmi
et dolores
contagiosi.*

Spasmos inter & dolores nonnulli contagiosi obseruati sunt, proque iis venditantur. Spectant huc: 1) *Arthritides contagiosae.* Dixit Abrah. KAAV BOERHAAVE: *Canis podagra laboranti ad pedes dormit; hic, qui paullo antea mortem dolore praecoptabat, podagra liber irridet in gyrum versum canem & latratu suo dolorem, quem attraxit, eiulantem.* Vid. EIVS Tract. de *Perspirat.* Hippocr. *dict.* pag. 216. seqq. Plura testimonia podagrae contagiosae collegit. celeberr. van SWIETEN l. c. Tom. IV. pag. 299. Atque Ipse adiicit: *Obseruatum fuit aliquoties, uxores sanissimas, dum die noctuque maritorum podagricorum curam gerebant, eodem morbo postea laborauisse, licet & multae aliae, quae eodem officio strenue perfungebantur, immunes manserint.* 2) *Tussis nonnumquam.* Illustris Vir de ROSEEN notauit, se plus vice simplici contagium tussis ferinae epidemicae infantum (*der Keichhusten*) obseruasse, duosque, quibus id confirmari censet, casus adducit l. c. pag. 325. Neque forsitan plane ab ea sententia abest clar. GELLERVS, in *Scrutin. physico-med. de Tussi epidemica infantum conuuls.* (Rostoch, 1763.) 3) *Hydrophobia.* Nam & is morbus manifesto contagiosus, spasimis ac conuulsionibus accenseri debet. Colicam

licam Pictonum et conuulsionem cerealem, quas nonnulli contagiosas fecere, hic omitto, cum dubia ea res haberi debeat. De conuulsione cereali vid. CARTHEVSERVS (*Fundament. Patbol. & Therap.* Tom. I. pag. 326. §. V.). Neque de Epilepsia contagiosa (*Nov. Act. Acad. Natur. Curios.* Tom. III. pag. 398.), aliisque similibus, pro contagiosis habitis, affectibus spasticis dicam, cum, in tanta rei difficultate, errori facilis via pateat.

§. IV.

His demum morbis contagiosis adiungi etiam debent, quos dicam. *Phthifis primo pulmonalis.* De qua collectos casus vide apud HOFFMANNVM l. c. Part. IV. pag. 305. §. XVIII. et *Matth. MORONVM* in *Director. med. pract.* voc. *Phthifis*, pag. 362. seqq. *Morbi* dein *veneriei & Scabies* huc reuocari debent, non facile id quodam negante. Neque videtur contagium a *Scorbuto* plane abesse. Monet id Illustr. b. m. HOFFMANNVS l. c. Tom. V. pag. 8. 9. SENNERTVS in suo de *Scorbuto* Tractatu eundem manifesto morbis contagiosis adnumerat, licet p. m. 14. PLATERI sententiae non faueat, qui statuit, potuisse scorbutum per nautas ex procul disitis regionibus, vbi forte familiaris sit, ad nos perducui, vt lues Indica, ab Indis primum in maritima circa Neapolim loca translata, toti Europae innotuit. Negare fere videtur hoc, quod asserimus, Scorbuti contagium, Perillustr. van SWIETEN l. c. Tom. III. §. 1150. pag. 617. 618. Quodsi interea perpendamus, dari Scorbutum, quem vera

gene-

*Alii
contagiosi
morbi.*



generat humorum putredo, hanc vero sese, omnibus consentientibus experimentis, propagare, nullum supererit dubium, fieri posse, vt Scorbutus quoque existat contagiosus. Denique *ulcera, maligna* dicta, carnes aut ossa afficientia, saepe saepius contagiosa obseruata sunt.

§. V.

*Cautelae
circa
morbos con-
tagios. ipsos
generatim
obseruande.*

Quos recensui morbos, summa saltem permotus probabilitate contagiosorum numero adiudico. Fatendum enim, nimis facilem esse in illa re errorem, atque vix summa & indefessa diligentia adhibita satis caueri posse, vt ne morbus non contagiosus pro contagioso nonnumquam venditetur. Facillime imprimis eiusmodi error obuenerit, quando grassationes morborum occurrunt. Cum enim hi ab vniuersali enascantur causa: facile fit, vt aeger, qui alii adstiterit, contagio morbum suscepisse credatur, quem tamen vniuersalis tantum morbi causa, ipseque dein morbus adfecit. Praeterea timoris atque terroris magna est in suscitandis morbis potestas; vt ergo morbus quidam in subiecto, quod pro sano habetur, sanumque morbo quodam decumbentem visitat, timore dein aut terrore percito, produci sine contagio queat, quem vero multi contagiosum dicent, cum sanum subiectum, ad aegrum accedens, viderint eodem postea morbo affectum. Neque mirabitur istas difficultates, qui perpendit, Medicum vix demonstrare posse, factum esse materiae contagiosae in sanum antea corpus transitum, eamque, si huic illata fuerit, propria virtute morbum produ-

duxisse. Quis enim potest huius materiae aut transitum, aut actionem sensibus percipere? Quis nouit semper omnes corporis conditiones, vt scire possit, morbum, quem sanus sibi contraxisse contagio creditur, non productum esse a causa subiecto, quod sanum videbatur, iam inhaerente, atque fortuito sese, ab eo statim tempore, quo aegrum visita- uerat, aut eius vestimenta attigerat, euolvente? Quare cau- tos nos esse oportet in stabiliendo morborum contagio, eo- rum imprimis, qui noui sunt & epidemice aut endemice grassantes. Praeterea quoque cauendum, ne morbum, qui sub his illisue circumstantiis vere contagiosus existit, conta- giosum *semper* habeamus. Pendent enim morbi, e. g. Scor- butus, a variis non raro ac a se inuicem diuersis fluidorum cacochymiis, quarum vna contagio propagari potest, aliae vero minus.

§. VI.

Morbi contagiosi quibusdam a se inuicem distinguun- tur diuersitatibus. *Primo* namque alii sunt *acuti*, alii *chro- nici*, alii *breues*. Pestis, petechiae, purpuracea febris, &c. acutis; scorbutus, morbi venerei, varia vlcera maligna, &c. chronicis; variolae, maxime benignae, scarlatinacea species, quam nomen tamen morbi dixit SYDENHAMVS, & s. p. breuibus adnumerari debent. Acutus enim morbus mihi dicitur morbus, qui non tantum per breue tempus durat, sed etiam vere periculosus est, a breui maxime distinguen- dus, cuius duratio quidem breuiore temporis spatio cir-

*Morborum
contagiosor.
diuersitates.*

B

cum-

cumſcribitur, ſed ſine periculo ſoluitur, qualem morbum nonnullae variolarum ſpecies ſine dubio repraeſentant. *Dein* alii in diſtans, alii vero non niſi per contactum contagium propagant. Peſtis, ſcarlatina, morbilli, &c. ad priores: ſcorbutus, lues venerea, ſcabies, &c. ad poſteriores referri debent. Alii *porro* fere ſemper a contagio, vt morbi venerei, hydrophobia, peſtis; alii contra ea frequenter ſponte quoque in corpore humano oriuntur, vt ſcabies, ſcorbutus, purpura, phthiſis, vlcera maligna. Nonnulli *praeterea* adeo contagioſi ſunt, vt eorum materia numquam videatur innocue ab homine ſuſcipi poſſe, quorſum venereos morbos refero; aliorum vero, qui plurimi ſunt, materia interdum a Medicis & adſtantibus, ſine noxa poſtea producta, recipitur. Alii *denuum* ſunt epidemici, endemii, alii ſporadici; alii ſunt maligni, alii benigni &c.

§. VII.

*Natura
morborum
contagioſor.
& materia
contagioſa
deſinitur.*

Ex hucusque allatis natura nunc morborum contagioſorum & materiae contagioſae deſiniri poteſt, in quantum eam aſſequi ſine coniectura poſſumus. Patet nempe ex praedictis:

I. *Morbum contagioſum ſemper morbum eſſe fluidorum.*

Solet enim morbus fluidorum is dici, qui fluidis praecipue inhaeret; quod ſine dubio de eo affirmare licebit morbo, cuius cauſſa materialis fluidis vere inexiſtit. Nunc autem morbi contagioſi, ſupra recenſiti, omnes ex fluidorum vitio naſcuntur; materia quoque, cuius tranſitu contagium perficitur

ficitur (§.I.), non potest non fluidis inhaerere. Quare omnis morbus contagiosus, morbus esse debet fluidorum.

II. *Morbum contagiosum, quatenus est contagiosus, ponere malam fluidorum mixtionem.*

Morbi enim fluidorum vel copiam, vel mixtionem, vel motum humorum respiciunt. At enim vero nec copia vitiosa, nec motus alienatus humorum, transitu materiae cuiusdam ad sanum corpus propagari possunt. Praeterea morbi, quos recensuimus, omnes ex mala humorum mixtione proficiscuntur.

III. *Materiam contagiosam videri acrimonia nocere.*

In morbis scilicet contagiosis effectus omnes, quos edit acre, comparere solent, dolores, spasmi, febres, solutiones continui, ulcera, inflammationes, gangraena, sphacelus, exanthemata. Videtur exgo ex his acrimoniarum effectibus recte ad acris in morbis contagiosis praesentiam concludi posse. Gustus nonnumquam eandem acrimoniam, vt in experimento, quod de purpurea materia recenset COL-LIN, detexit.

IV. *Acre illud plus minusue esse subtil.*

Cum enim materia contagiosa vasa ingredi queat absorbentia, quorum ostia adeo sunt arcta: hinc recte ad subtilitatem materiae contagiosae colligitur. Quoniam vero non omnes morbi contagiosi eius sunt indolis, vt in distans quasi suam exserant vim contagiosam, sed quorundam contagium tunc demum sese manifestat, quando sanus immediate aut aegrum,



aut res, quae ad eum pertinent, materia contagiosa inquinatas contingit: sequitur, materias contagiosas, quod gradum subtilitatis respicit, inter se inuicem differre, atque illas maiori prae reliquis subtilitatis gradu gaudere, quae contagium sine immediato contactu, mediante tantum aëre, producant. Subtilitas istiusmodi materiae pendet quidem a specifica materiae ipsius natura, vt tamen simul, in ea recte diiudicanda, ad viscidum quoddam, oleosum, aut simile quid, quod eam inuoluit, attendi debeat. Sic materia pestis vna ex subtilissimis esse videtur, cum repentinos adeo & perniciosos effectus producat; solet tamen haec ipsa materia vestimentis aliisque rebus per multos annos adhaerere immutata, par semper inferendo contagio; quod quidem phaenomenon plane a subtilitate materiae abesse videtur. Quodsi vero concipias, subtilem hanc materiam tenaci quodam corpore inuolui (fere vt spiritus rector aromatum & plantarum aromaticarum oleo inuoluitur): tunc, non obstante summa materiae subtilitate, diu corporibus, retenta vi sua contagiosa, adhaerere potest, fere vt Moschus, Ambra, aliaque corpora grati ingratiue odoris vestimentis per longissimum tempus adhaerent. Neque ergo satis bene maiorem minoremue subtilitatis gradum ex tempore, per quod materia contagiosa vim suam retinet contagiosam, *vnice* determinamus. Potest enim materia alia vere subtilior esse, licet, ob corpus tenax, illam inuoluens, diutius virulenta vi gaudeat. Vt itaque, nisi alia argumenta id postularent, morbillofa
mate-

materia variolosa subtilior dici non deberet, licet constet, morbillosam intra breue temporis spatium sua destrui vi contagiosa, quod de variolosa non aeque valer.

V. *Morbi, qui contagium in distans perficere possunt, haud ita difficulter epidemici aut endemii ex sporadicis sunt; morbi vero contagiosi, qui contactum corporum contaminatorum, ut sese propagent, requirunt, non ita facile pandemii euadunt.*

Quamuis enim, cum morbi contagiosi ad sanos sua natura transire possint, omnes ex sporadicis pandemii fieri queant: tamen, cum priorum contagium difficilius, posteriorum facilius euitari possit, atque etiam priorum materia generatim validior, quam posteriorum, esse soleat, sequitur, illos facilius, hos difficilius in pandemios abire morbos. Doceant id a posteriori variolae, morbilli, pestis, si comparentur cum morbis venereis, scabie, scorbuto.

§. VIII.

Ad difficillimam nunc transeo quaestionem. Quaeritur nempe: qua demum fiat ratione, ut materia contagiosa non solum fluida humani corporis contamineat, verum etiam eundem plane morbum, quem ante in aegro quodam produxerat, in sano quoque, quod eam suscepit, excitet? Missis hypotheseibus ea tantum afferam, quae non sine summa certitudinis specie hac in re stabiliri posse videntur. Videmus ex institutis experimentis collectisque variolarum & morbillorum institutorum obseruationibus, materiae conta-

*Actio
materiae
contagiosae
in corpus
humanum.*

giofae exigua quantitate, quae vix grano equiparari potest, febrem morbillosam & variolosam accendere, totumque humorum oceanum vi venenata corrumpere. Quare morbi, per contagium subnati, origo non ea ratione concipi debet, vt credamus, illam ipsam materiae copiam, quae corpus infectum ingressa est, morbo contagioso producendo parem fuisse. Fieri enim aliter vix posset, quin adeo exigua illius copia, oceano humorum adfusa, & aqua, oleo & mucoco partim inuoluta, partim diluta, vim omnem perdat, morboque inferendo impar euadat, fere eadem ratione, vt vnum duodecim salis grana, insigni aquae quantitati admixta, aquam vix mutare obseruantur. Neque etiam illam, quam proposui, sententiam admittere sinit *totius*, quae obseruari solet, sanguinis corruptio, quae certe vni alterius materiae contagiosae receptae grano tribui non potest, nisi credere velis, materiam contagiosam adeo esse subtilem, vt vnicum etiam illius granum, in infinitum fere diuisibile, quamlibet sanguinis guttulam corrumpere queat, quod vero experientiae contradicit, cum obseruatio doceat, guttulam sanguinis quamlibet tanta vi contagiosa gaudere, quae receptae materiae contagiosae vi plane non sit inferior. Cum itaque transitus materiae contagiosae morbum, per contagium ortum, generet (§. I.); cum eadem humorum oceanus, quam late fere patet, inquinetur, neque ad id perficiendum illa, quae transit ad corpus sanum, materiae contagiosae quantitas sufficiens esse queat: sequitur, materiam contagiosam
facul.

facultate gaudere, sanis humoribus eandem ipsam qualitatem, qua ipsa gaudet, inferendi, seu, quod idem est, humores sibi assimilandi. Quoniam vero assimilatio ista corruptioni humorum, materiae contagiosae ope productae, debetur (§. VII.); istiusmodi autem fluidorum corruptiones a motu quodam intestino pendent: videtur quaelibet materia contagiosa ita in humores nostros agere, vt motum quendam intestinum in iisdem excitet, sub quo aut sal, aut oleum corruptum enascitur, quae dein materia, similis susceptae, similem quoque effectum similemque morbum efficit.

§. IX.

Quae vero licet ita sint, atque materia contagiosa sua natura morbum efficere queat: caue tamen existimes, esse eam proximam seu veram morbi contagiosi causam. Constat potius tam ex observatis, quam ex §. antecedente, materiam contagiosam numquam absolute, sed tunc demum morbum contagiosum producere, quando dispositio aut naturalis, aut praeternaturalis ad eundem morbum, quem contagio produci posse iudicamus, corpori inhaeret. Vidimus (§. anteced.), materiam contagiosam, producto motu quodam intestino, humoribus nostris infestam esse, hacque ratione sese multiplicare. Nunc vero praesentia eiusmodi motus intestini innuit, humores nostros ad eundem concipiendum aptos esse, a qua si discesseris aptitudine, motus ipse intestinus impossibilis esset. Actio itaque materiae contagiosae hanc sibi vindicat aptitudinem, tanquam dispositio-

nem

*Actio
materiae
contagiosae
postulat:
I. Dispositio-
nem corpor.*



nem ad concipiendum morbum contagiosum. Praeterea observationes manifesto docent, plurimos morbos contagiosos eius simul naturae esse, vt praeternaturalem iam dictam dispositionem aliam requirant, ab illa adhuc diuersam. Variolae, morbilli, non nisi eum afficere solent, qui eos morbos nondum superauit, atque Medici saepe sine damno sese contagiosae scabiei, pestis, petechiarum, purpurae, scarlatinae, &c. materiae ita exponunt, vt de transitu eiusmodi materiae dubitare vix possis. Quid? quod, notat HVXHAM, accidere nonnumquam, vt variolas nondum passi contagiosae earum materiam hoc anno sine damno hauriant, altero vero in summa securitate ab ea grauiter afficiantur. Quae omnia cum concipi nequeant, nisi statuatur, singularem quandam, ad actionem materiae contagiosae, requiri corporis dispositionem: sequitur, verissimum esse id, quod in limine paragraphi enunciauimus. At enim vero quaeri potest: quibus demum momenti illa, quam diximus, corporis constitutio absoluatur? Cui equidem quaestioni licet exacte satisfacere non ausim, tamen multum hic valere videntur sequentia: 1) Humores nostri ad ineundos varios motus intestinos sunt valdopere procliuēs, vt ideo materia contagiosa aptam ad recipiendam corruptionem massam inueniat. 2) Non raro accidit, vt materia morbi contagiosi ante susceptum contagium ex parte iam praesto sit in corpore, insufficientem quidem in se (vel ob parcitatem, vel ob alias causas) ad producendum morbum, accedentem tamen postea mate-

materiam contagiosam suis in operationibus adiuuans. 3) Debilitas corporis multum hic valere videtur. Robustum enim subiectum facilius iterum materiam contagiosam eliminare, obque humores bene mixtos atque congrue motos, motui intestino, a sanitatis statu desiccanti, strenue resistere videtur; debile contra ea corpus non solum materiam contagiosam, ob laxiora vasa, facilius robusto recipit, sed diutius quoque eandem retinere atque eius actionem, ob male mixtos & haud legitime motos humores, adiuuare solet. Hinc metus ad morbum, contagii ope producendum, disponere obseruatur, robur contra ea defendere. 4) Impuritas humorum, nisi materiae contagiosae e diametro fuerit opposita. Impuritates enim humorum ponunt iam causas corruptionis in corpore praesentes, atque materia contagiosa, inducta corruptione, nocet. 5) Spasmus vasorum excretoriorum post susceptam materiam contagiosam. Hinc terror adeo contagium adiuuat. Impedit scilicet eiusmodi spasmus, quo minus suscepta materia contagiosa euacuari iterum possit; retinetur itaque suamque in corpore actionem perficit. 6) Augmentum caloris naturalis. Frigus enim motus intestinos impedit, calor eos auget. Nunc vero materia contagiosa motus intestini ope fluida contaminat. Praeterea calor vim vasorum absorbentium intendere videtur. Inde fit, ut calidiorum usus non raro contagium faciliat, atque coitus impurus tam facile noceat. 7) Quantitas sanguinis per venae-sectionem aut alias causas nimium imminuta. Obseruatio

C

fal-



faltim docuit, pestis contagium interdum statim ab administrata venae sectione obortum esse, quod non mirabitur, qui cogitat, vasorum absorbentium adminiculo materiam contagiosam corpus & sanguinem ingredi, haec vero vasa eo facilius reducere materiam, quo minus sanguis in venis rubris resistit, sanguinis demum venosi resistentiam venae sectione & similibus causis multum minui. 8) Aër externus humidus & calidus, cum debilitet, & motus intestinos adiuuet. 9) Applicatio ad internam quandam partem, v. g. ventriculum. Videtur enim eo facilius sic ad sanguinem peruenire. Atque haec hucusque de dispositione corporis, quae ad actionem materiae contagiosae requiritur, dicta, cum obseruationibus innitantur, facile admitti possunt; caue modo existimes, haec in ardua illa re iam sufficere. Nondum enim ex his intelligi potest, quare fiat, vt variolae & morbilli homines non facile plus vice simplici affligant, & quare morbi quidam, vt venerei, non nisi dispositionem naturalem, alii contra ea praeternaturalem etiam requirant, antequam possint contagio propagari. Exerceant sese in his, qui hypotheses amant; lubens ego ad alia transeo.

§. X.

2. *Vim vitae.*

Vim quoque vitae postulat materiae contagiosae notio. Vi vitae complexus hic intelligitur virium, per quas vasa materias, quas continent atque receperunt, in motum agunt. Nunc nemo non perspicit, quare vires istae ad actionem materiae contagiosae requirantur. Atque *primo* quidem, si vires

vires has remoueat, ne transitus quidem aptus materiae contagiosae, vasorum absorbentium ope perficiendus, contingere possit. Obseruamus scilicet, vasa absorbentia, si debilitate afficiantur, quae *laxitas* aut *inertia* vocari solet, fluidorum absorptionem minus, ac in statu naturali fieri solet, praestare, quod hydropis exemplo constat, qui tumor non infrequenter soli debilitati atque inertiae adscribi debet. Quodsi nunc absorptio languet, quando vis vasorum absorbentium decrementum passa est, patet, absorptionem plane contingere non posse, si praedicta vis emortua sit. *Dein* calor, ad actionem materiae contagiosae necessarius (§. anteced.), a vitali vi pendet. Neque possit *praeterea* materia contagiosa suo fungi munere, ni exacte eam motus humorum vitalis cum fluidis contaminandis commisceret. *Demum* videtur vis vitalis eo quoque respectu quidquam ad materiae contagiosae actionem conferre, quod passim ad humorum corruptionem spasmosque disponat (§. anteced.). Non aliena ab his est experientia. Videmus, morbos contagiosos non facile oriri, nisi aut exquisitae febres, aut motus saltem febriles, quorum certe origo vi vitali debetur, concurrant. Docet etiam obseruatio, subiecta, forti, aut facile saltem excitanda vi vitali praedita, facilius morbis contagiosis corripri, quam ea, quorum vis vitalis iners est. Pulcre id ostendunt obseruata, quae de Peste consignauit clariss. CHENOT, in Tractatu de *Peste* pag. 46. 47. Notat enim, pesti maxime obnoxios fuisse cholericos, atque hos secutos esse



esse sanguineos; melancholicos vero & phlegmaticos minus ea contaminari, cum vis vitalis in his non facile excitetur, hinc iners sit, quo ipso vocabulo hic non facile excitandam seu torpentem vim vitalem intelligo, a debili vi vitali generatim adhuc distinguendam, utpote quae facile (ut in sanguineis) nonnumquam excitatur: debilis tamen dicenda, cum & *nimis* facile excitetur, & non satis constanter agat.

§. XI.

*Diuerfitas
matariarum
contagiosar.*

Non videntur, si ab his discesseris, plura ad veram materiae contagiosae actionem requiri. Propria enim vi, qua sibi liquida humana assimilat, instructa (§. VIII.), delata in corpus dispositum (§. IX.), vique demum vitali adiuta (§. anteced.), fermenti quasi cuiusdam munere fungitur, quod, aptum ad concitandam fermentationem, materiis farinaceis, ad fermentationem dispositis, additur, easque, mediante calore, vi quasi vitali hic aequiparando, in fermentationem diuersamque a priore mixtionem rapit. At enim vero restat, ut de matiarum contagiosarum diuersitate dicam, cum sint, qui in his materiis non nisi eam diuersitatem agnoscant, quae a gradu actionis pendet, negligentes illam longe maiorem, quae specifica est & nominari meretur. Atque primo quidem nemo diffitebitur, *differre* materias contagiosas. Morbi enim contagiosi sunt diuersi (§. II. seqq.), hinc etiam causa, quae eos producit, diuersa concipiatur necesse est. Queritur potius: ane omnis inter materias contagiosas, variolosam, purpuraceam, morbillosam,

sam, pestilentem, &c. occurrens diuersitas reduci queat ad actionis gradum, ita, vt hanc minus potenter, aliam valide citiusque fluida corrumpere, statuatur? Nunc equidem non plane ab eorum, qui ita sentiunt, opinione absum, cum variae purpuraceae morbi species vnā eandemque, gradu tantum diuersam, causam & materiam agnoscere videantur; pestis porro phaenomena aequae ac exanthemata, mire differant, prouti materia fuerit benignior aut malignior; petechialis quoque morbus pesti accedat, vtut petechiae ac pestilens morbus mirum alias differre videantur. Licet vero haec similiaque ad corroborandam illam sententiam afferri possint: attamen cauendum, ne omnem materialium contagiosarum differentiam hinc repetamus. Quod ne a veritate alienum iudicetur, sequentia, rogo, attendantur argumenta.

I. Obseruatio saepissime docuit, materiam contagiosam, siue illa benignior, siue malignior fuerit, eundem semper, non alium, determinasse morbum. Reuocentur hic in memoriam numerosissima illa variolarum insitiuarum exempla. Administrantes huius morbi insitionem, vt methodi regulas condere possint, modo malignam, modo benignam, i. e. a variolis malignis aut benignis desumptam materiam, adhibuerunt, semper obseruantes, morbum variolosum prodire, ne vnico quidem excepto casu. Nunc vel leuiter attendenti patet, hanc morbi constantiam specificam potius, quam gradualem materiae variolosae a reliquis diuersitatem innuere. Idem de morbillosa materia dicendum. II. Dantur

morbi contagiosi, qui aliis modo sunt mitiores, modo peiores; dantur alii, qui inter se comparati, nullam certam, quoad gradum, differentiam admittunt; in his ergo nulla materiarum differentia, in illis minime stabilis assumi deberet. Morbilli & variolae inter se differunt ita, vt morbilli vtplurimum variolis sint mitiores, nonnumquam tamen peiores. Quenam ergo inter materias, hos morbos determinantes, gradualis occurrit differentia? Si dicis: morbilliosam minus potentem esse variolosam: ad casus malignissimorum morbillorum prouoco, quos Edimburgi prae aliis locis frequentius, vt referunt, obseruare contingit. Si velis morbilliosam materiam variolosam mitiorem iudicare, tenendum, morbillos variolis plerumque minus esse graues. Non poteris ergo, assumpta illa, quam examini subiicimus, sententia, aliter iudicare, quam, morbilliosam materiam variolosam esse modo magis, modo minus actiuam, & apud nos quidem minus, apud Edimburgenses vero magis actiuam, quod quam valde constantioribus Naturae legibus, quas in producendis materiis obseruauit, repugnet, nemo non videt. Vt alterum quoque, quod dixi, illustretur: scorbutus & morbus venereus inter se inuicem comparentur, respectu scilicet ad magnitudinem habito. Cuinam horum palmam dabis? Exacte rem perpende, atque videbis, vix generatim definiri id posse. Nihilominus toto coelo a se inuicem isti morbi differunt, quod ergo sine materiae differentia obtineret, si inter materias contagiosas gradualis tantum statuatur differ-

ren-

rentia. III. Symptomata in morbis contagiosis occurrunt, quae a gradu actiuitatis materiae deducere vix licet. Si phaenomena purpurae cum petechiis, variolarum cum morbillis comparaueris: symptomata deprehendes numquam ex sola materiarum graduali differentia deducenda. IV. Videmus, materias contagiosas hanc illamue fluidorum partem prae reliquis corrumpere, licet eadem etiam ratione applicentur, prouti id venerea, morbillosa, &c. materia docent. Id certe specificam potius, quam gradualem differentiam prodit. V. Dantur materiae contagiosae, quibus hoc illudue medicamentum aut remedium cum fructu opponitur, cum idem, morbo contagioso alius naturae praesente, summum afferat detrimentum. Exemplo esse potest mercurius, laudandus in morbis venereis, reiiciendus in scorbuto. Plura hac de re non addam. Demonstrasse sufficiat, esse argumenta, quibus impulsus credimus, materias contagiosas non solo actiuitatis gradu inter se inuicem differre, occurrere potius eam quoque inter illas differentiam, quam specificam dicere fas sit, cum ab individuali cuiuslibet natura, non satis definienda, proueniat.

§. XII.

Cum materia contagiosa sese eadem ratione, ac putridum solet, propaget; cum producto motu quodam intestino nociuam suam indolem in corpore declaret, fluida autem corporis humani adeo facile in eum abripiantur motum intestinum, qui ad putredinem necessarius est; cum demum

*Non omnis
materia
contagiosa
ad putri-
dum reduci
potest.*

non

non obscura in tam multis morbis contagiosis putredinis signa obseruentur: hinc sine dubio factum, vt celeberrimi quidam Viri essentiam materiae contagiosae in putrido quodam sitam esse iudicauerint. Quantum vero haec ipsa sententia a veritate remota sit, sequentia, credo, suadere possunt argumenta: I. Euietum dedimus (§. anteced.), materias contagiosas non gradu tantum, sed ipsa essentia differre. Quodsi vero omnes materiae contagiosae essent putridae, nulla, nisi gradualis, inter eas differentia statui posset. II. Multi occurrunt morbi contagiosi, in quibus putridi sanguinis signa nulla ratione comparent. In pessimis variolis, morbillis, febribusque scarlatinis saepenumero, immo frequentissime, accidit, vt sanguinem quidem videas diathesi inflammatoria plenum, nullo vero modo resolutum, qualis tamen esse solet, quando putridum sanguini inest, vt ideo quoque a putredine vel ipsa feri coagulabilis procliuitas ad concretionem tollatur. Caue etiam ne dicas, non mirandam esse hanc spissitudinem, cum putridum irriter, vasa hinc contrahantur, sanguis comprimatur, vnde phlogisticam crustam nasci obseruationes frequentissime doceant. Enimvero licet acria, vtpote in se spectata soluentia, vere ita agere possint, id tamen huc trahi nequit. Cum enim id in *pessimis* variolis &c. nonnumquam accidat: sequeretur, vt, si putridum veram eorum morborum contagiosam materiam constituat, in pessimis casibus maxime putridum agere debeat, quo in casu numquam spissitudinem, sed summam potius sanguinis reso-

resolutionem deprehendimus. Videmus quoque, longe aliter omnia accidere, quando cum his morbis, quod fieri potest, vera coniungatur putredo. Tunc enim, v. g. in Variolis, nulla suppuratio oritur, pustulae turgent sanguine resoluto, saepe atro, febrisque non inflammatoria est, sed vere putrida, cum insigni pulsus & virium debilitate connexa. Pauca exempla huius rei adduxi, plura afferre possem, a Scorbuti, morborum venereorum, &c. natura desumpta, verum, ne longus sim, haec B. L. relinquo. III. Docet experientia, in variis morbis venereis ea remedia, quae sepsin & putredinem inducunt, optime sese gerere, quod certe impossibile, quantum iudicare possum, esset, si vera putredo materiae eiusmodi contagiosae fluidisque subiecti, ab istis morbis affecti, inexistere. Respicendus hic tantum mercurialium in morbis venereis vsus, ad salivationem & veram vsque putredinem fluidorum protractus, qui nihilominus conducere obseruatur. IV. Foetore imprimis putridi praesentiam diiudicamus, quando corpus, quod pro putrido venditatur, per chemicam artem experiundi nullus locus datus est. Nunc autem dantur materiae contagiosae, quibus vel nullus foetor inest, vel eiusmodi certe, qui multum a putridi foetore recedit. V. Neque per Chemiam haecenus constitit, materiis contagiosis putridi partes essentiales vere inesse, alcali nempe volatile, oleo corrupto adhaerens. VI. Cruor omnium citissime a putrido afficitur. Omnes ergo morbi contagiosi cruorem afficere prae reliquis sanguinis par-

D

tibus



tibus deberent, si ortus eorum putredini semper dandus esset. At enim vero experientia plane contrarium docet, cum varii morbi contagiosi sint, qui serum, lympham, mucum & adipem afficiunt, reliquas vero partes intactas relinquunt, sicuti id de morbis venereis notissimum est. Demum VII. quae afferuntur ad stabiliendam hanc sententiam, argumenta, non satis conuincunt. Quodsi enim ita concludas: Materia contagiosa sese vt putridum propagat; ergo est putrida: sequeretur hinc, panis quoque fermentum esse materiam putridam. Neque recte quoque dici potest: Fluida humana ad illum motum intestinum, qui putrido producendo inferuit, valde prona sunt; ergo is motus intestinus, in quem rapitur sanguis a materia contagiosa, semper eiusmodi farinae existit. Alias enim purulenta materia & aliae, per motum intestinum enatae, putridae dici deberent. Innumeri alii motus intestini in fluidis nostris & possunt oriri & vere oriuntur, licet omnino sanguis ad putridam indolem proclivis sit. Cauendum ergo, ne ex obseruato motu fluidorum intestino actutum ad eum concludamus, qui putridum generat. Demum nec recte hic prouocabis ad obseruata, quae docent, morbos contagiosos tam frequenter sanguinis putredine stipari, corpus saltem, quod morti dederunt, ita relinquere, vt post elapsum breuissimum temporis interuallum putridum euadat. Bene enim perpendendum, 1) a mutationibus hisce non satis tuto concludi posse ad illum motum intestinum, quem materia contagiosa immediate produxit, cum

v. g.



v. g. materiam variolosam manifesto non semper eiusmodi motus intestinus, per quem putridum nascitur, excipiat, hic tamen in nonnullis casibus vere prodeat; 2) a putredine, quam produxit materia contagiosa, non valere consequentiam ad putredinem ipsius materiae, quod itidem materia variolosa & similes docent, quae manifesto non sunt putridae, nihilominus vero putredinem excitare valent. Quando ceterum nego, omnem materiam contagiosam ad putridum referri posse, facile largior, eam interdum corpus quoddam vere putridum sistere posse, bene memor, dari casus morborum contagiosorum, solo afflatu putridi cruoris ortorum. Vellem etiam notet B. L. me putredinem hic non pro qualibet sanguinis corruptione sumere, sed pro ea tantum, quae alcali volatili specificè corruptum oleum adiunctum habet.

§. XIII.

Augustus HAVPTMANNVS, in perscrutandis morborum & mortis causis quondam occupatus, eo demum peruenit, ut crederet, morbos omnes mortemque corporis humani ipsam ab animalculis provenire. Animata haec pathologia miro applausu a Viris non incelebribus, LANGIO nempe, KIRCHERO, aliisque excepta est, eo potissimum argumento corroborata, quod in variis nociuis materiis, scabiosa nempe, venerea, variolosa, &c. animalcula vere obferuntur. Deletum fere errorem restituerunt nostris temporibus, MEAD, PLENCIZ, ROSEEN, MONRO, quos, ut fieri solet, plures secuti sunt; ut tamen non omnes morbos,

*De materia
contagiosae
verminosa
natura.*

sed eos tantum, qui contagiosi sunt, ab animalculis deducant. De scabie egregius MEAD dicit: *Animatus reuera dici potest hic morbus, utpote qui animalculis ortum suum debeat. Etenim insecta quaedam adeo exigua, ut aciem oculorum, nisi microscopio adiuuetur, omnino fugiant, in cuticulae sulcis latentibus & vere inuisibilibus, tamquam in nidis, ova sua deponunt, tum calore loci foetus breui excluduntur, qui, iustam magnitudinem nacti, ipsamque cutem rostris aculeatis penetrantes, fibrillas vellicant roduntque --. Manifestum hinc fit, cur linteis, vestibus, chirothecis, similibusque, quibus vsi fuerint contaminati, hoc malum in corpora sana transferatur --. Haec, quae dixi, omnia in Actis Regalis nostrae Societatis habentur (Philosoph. Transact. Num. 283.). Edidit enim anno 1687. Medicus ingeniosus, Ioann. Casim. BONOMO, Epistolam italico sermone scriptam ad celeberr. Francisc. REDI, de Vermibus corpor. humani, in qua totam hanc rem, adiunctis etiam animalculorum, cum oculis suis, figuris, dilucide exponit. Huius ego, cum decem circiter post id tempus annis per Italiam iter facerem, exemplar nactus, -- Actis inserendam curavi. Vid. EIVS Monit & Praecept. med. pag. 117. 118. 119. Ad eadem haec obseruata prouocat celeberr. MONRO, quando in suo de *Morb. militum* Tractatu (pag. 216. seqq.) de scabie agit, atque etiam eo argumento, quod MEAD iam attulit, vitur, quo constat, remedia interna parum contra scabiem valere, valentiora vero esse ea, quae externe animalculis inimica adhiberi*

beri



beri solent, qualia sunt, Mercurius, Helleborus albus, Sulphur. De tussi ferina epidemica infantum non obscure innuit Illustr. de ROSEEN I. c. pag. 337. seqq. eius materiam esse verminosam, additque, ad morbi pertinacis curationem requiri, ut nouerit Medicus remedia, quae vel semen illud enecant atque inactiuum reddunt, vel, quantocyus fieri queat, via breuissima expellunt. Nemo tamen magis huic sententiae fauet, eamque copiosius corroborare annitur, quam celeberr. PLENCIZ, cuius ergo argumenta breuiter exponam, sicuti exstant in EIVS *Operib. med. physic.* Tract. I. de ordine vero, quem obseruauit celeberr. Autor, retinendo parum sollicitus. Vitur vero his: 1) Morbi contagiosi curantur omnium optime iis remediis, quae sunt anthelmintica. *Nihil, inquit, magis euincit, in lue venerea, scabie, omnibus ulceribus, aliisque similibus corruptionibus, seminaria animalculorum, quam vera & legitima methodus, qua in cura tractantur; ad debellandos enim istos morbos, cuilibet hoc tempore notum est, specifica esse anthelmintica, nimirum sulphur & mercurium, aliaque anthelmintica; verum haec videntur vnice respicere & attingere vermiculos. Huc spectat etiam cortex Peruvianus, qui in ulceribus malignis, cancris & sphaelosis, & quidem tam internis, quam externis, specificus hoc tempore depraedicatur.* Vid. I. c. pag. 62. seq. 2) Putredinis essentia sita est in animalculorum horumque ouulorum praesentia; ergo materia contagiosa erit verminosa, perque semina verminosa operatur. Ita concludere videtur



Vir celeberr. in citat. Tract. Sect. II. pag. 73. 3) Difficultates circa contagia morborum obuiæ omnium optime solvuntur, quando assumitur, contagiosam materiam vermium ope agere suoque munere fungi (l. c. pag. 88. seqq.). Demum 4) vermes in materiis contagiosis vere obseruantur, ad quod argumentum multis in locis prouocat celeberr. PLENCIZ, v. g. pag. 80. Erit iam ad hæc omnia exactius respondendum.

§. XIV.

*Responde-
tur ad hæc
argumenta.*

Atque primo quidem, quando celeberr. PLENCIZ ex insigni vsu, quem anthelmintica in morbis contagiosis præstant, ad vermium præsentiam concludit: ista consequentia non satis mihi secuta esse videtur. Etenim 1) experientia docuit, anthelmintica optima, qualia sunt mercurialia & cortex etiam Peruuianus, non semper in morbis contagiosis fructum attulisse. Medici Edimburgenses obseruarunt, vsum mercurialium pessimas variolas subsecutas esse, idemque notauit *de HAEN*. Atque in casu notissimo, quem celeberr. TRALLES consignauit, sat diuturnus corticis Peruuiani vsus impedire non potuit, quo minus lethales erumperent variolæ. 2) Cum remedia anthelmintica præter virtutem, qua vermes enecant, aliis quoque virtutibus polleant; sequitur, non satis probatam esse consequentiam: remedia anthelmintica salutariter opponuntur morbis contagiosis; ergo virtute sua anthelmintica operantur, atque essentia ideo materiae contagiosæ in vermium præsentia consistit. Non va-
let

let haec consequentia, nisi antea probetur, remedia anthelmintica sola sua anthelmintica virtute in morbis contagiosis agere, quod nondum euicit clariss. PLENCIZ. Nonne mercurialia ideo conducere possunt, quod spissum attenuant, acre vero expellunt? Nonne cortex Peruvianus ideo solum tanti erit in his morbis fructus, quod motum intestinum generatim praepedit, solida debilia firmat atque excretionem promouet? Nonne sulphur, quod externe in scabie usurpatur, exsiccante solum virtute agit? Dantur certe morbi, in quibus & cortex Peruvianus & mercurialia conducunt, a verminosa tamen materia satis remoti, febres v. g. intermittentes. Debebisne, fauens isti sententiae, dicere, febres omnes intermittentes a vermibus oriri? 3) Dantur remedia, quae, licet non sint anthelmintica, curandis nonnumquam contagiosis morbis inferuiunt. Sic sola interdum scarificatione alias non tollenda scabies sublata est. Si considerare velint illius sententiae fautores, scarificationem nonnullis tantum in locis adhiberi: certe non assument, posse eam semina omnia verminosa tollere. Quenam ergo curationis feliciter peractae causa? Quando *dein* celeberr. PLENCIZ prouocat ad putredinem, cuius essentia sita fit in animalculorum horumque ouulorum praesentia (§. anteced.): nimium, credo, a veritate recedit. Scilicet I. monui §. XI. non omnem materiam contagiosam esse putridam. Quodsi ergo clariss. Viro concedamus, essentiam putredinis vermium praesentia absolui: tamen non omnis certe materia contagiosa ver-

verminosa ideo dici deberet. 2. Essentia putredinis falso ponitur in vermium euolutione. Putredo singularem sibi vindicat corporis motum intestinum, quo eius mixtio turbatur. Singularis ille motus, minime vero vermium euolutio, essentiam putredinis constituit, licet facile fieri queat, vt sub isto motu (cum & corruptionem inducat, qua subnatos succos plures appetunt vermes, de conseruanda sua tam progenie, quam vita solliciti, & eas plane conditiones requirat, quas ouulorum quoque euolutiones postulant,) vermes oriantur & multiplicentur. Atque contingit quoque non facile, vt isti in putrida materia vermes obseruentur, si corpus, antequam subeat putredinem, recte coquatur, vt ouula sic enecentur ipsi inhaerentia, atque dein a liberiore aëre arceatur; manifesto documento, vermes ad putredinis naturam minime requiri. Neque *porro* censeo apte fati hinc concludi, materiam contagiosam ideo esse verminosam, quod in materiis contagiosis vermes obseruari soleant. Legi in Commentar. Lipsiens. licet locus exciderit, in morbo quodam bouum contagioso nullos in sanguine vermes obseruatos esse; vnde constat, non satis bene affirmari, vermes in materiis contagiosis *semper* praesentes esse. Fac vero, semper eos adesse; cauendum nihilo minus, ne concludamus hinc, vermes materiae contagiosae essentiam constituere. Quis enim est, quin nouerit, duo posse semper secum connexa esse, licet vnum alterius minime efficiat naturam atque essentiam? Vermes etiam ideo materiis hisce insunt, quoniam sunt corruptae & contagio-

giosae, minime vero materiae ideo sunt contagiosae, quoniam vermes ipsis inhaerent. Verum aliud, grauissimum sine dubio, nobis relinquitur argumentum.

§. XV.

Iudicat nempe celeberr. *PLENCIZ*, difficultates, in theoria morborum contagiosorum obuias, facilius discuti, si materia contagiosa non solum verminosa statuatur, sed illam, propter vermes, suam etiam vim contagiosam exserere, assumatur. Difficultates hasce proponit l. c. pag. 13. seqq. Sunt vero sequentes: 1) Quare materia contagiosa vnus morbi hunc tantum, non alium efficiat? 2) Quare contagium certam tantum animalium speciem afficiat, neque v. g. ab homine ad equos & v. v. transeat, sed ad eam tantum, cui infectum animal adnumerandum? 3) Quare & quomodo fiat, vt materia contagiosa valde diu iners & insons latere, & tandem longo post tempore & data occasione in actum deduci possit? et 4) quare materia contagiosa sit tam facile communicabilis & tam mirum in modum multiplicabilis? Solutiones horum dubiorum ex sua theoria proposuit Vir clariss. pag. 88. seqq. *Primam* ita soluit: Sicut ex certo vegetabilium semine certa planta & non alia, ita ex certo contagioso miasmate certus & determinatus affectus, & non alius euoluitur & propagatur. *Secundam* sic: Sunt alia seminia in contagio, quod homines, & alia in eo, quod bruta afficit. *Ad tertiam* responderet, alia seminia citius, alia tardius euolui. *Quartam* denique ita soluit, vt ponat, ab euolutione ouu-

E
lorum

Idem porro.



lorum vermiumque propagatione materiae contagiosae multiplicationem pendere. Nos, missis plurimis, quae egregio Viro opponi possent, tria tantum notabimus. 1) Theoriam ideo non statim ab errore esse alienam, quando his illius phaenomenis explicandis par est. Qui consensum neruorum hinc repetunt, quod nonnulli nerui propius secum sint connexi, errant, quod WHYTT fuse ostendit, multa tamen phaenomena explicant, & melius forte, quam qui contrariae sententiae fauent. 2) Duci vix potest, clarissimum PLENCIZ soluisse difficultates istas; quoad plurimas enim nodum non soluit, sed discindit. Consideres praecipue secundae & tertiae solutionem. 3) Qui in certa quadam mixtione essentiam materiae contagiosae ponunt, eadem facilitate, ac PLENCIZ, hisce quaestionibus satisfacere possunt. Dico *satisfacere*, nempe ita, vt insufficientes, quales dedit PLENCIZ, solutiones suppeditent. Hoc vero inutile opus ipse non suscipiam.

§. XVI.

*Nonnulla
contrarium
suadent.*

Non desunt demum argumenta, quae plane contraria huic theoriae suadent. Videmus, nonnullos morbos contagiosos sponte sanari, aegrumque sine quorundam remediorum vsu conualescere, variolarum & morbillorum exemplo. Nunc si materia contagiosa & verminosa esset, & propter vermes ageret, quatenus semetipsos propagant: sequeretur hinc, morbum illum tamdiu tolli non posse, quamdiu propagationis verminosae possibilitas manet. Non posset ergo mor-

morbus contagiosus sponte sanari; cum causae propagationis vermium semper maneant, nisi auxiliis quibusdam obuiam iis eatur. Longe aptius hoc phaenomenon ex supra stabilita theoria explicari potest. Sicuti enim vires vitales actionem materiae contagiosae adiuuant: ita ex parte altera eandem materiam, si enata fuerit, praeparant, coquunt, vt mitior reddatur blandiorque, atque demum per loca se- & excretoria remoueatur. *Dein* in ista theoria haec quoque difficultas nascitur. Multi contagiosi morbi cum insigniter aucto sanguinis motu connexi sunt. Nonne innatantes sanguini tenerrimi vermes sic enecari deberent? Debent certe, & tamen morbus contagiosus permanet. Cogitandum *porro*, quam saepe tristissimi oriuntur effectus, quando in scabiosis, non rite antea praeparata massa sanguinis, exsiccantia &, vt dicunt (§. XIII.), vermes enecantia remedia vsurpantur. Cuius rei plane contrarium volunt celeberrimi Viri (§. cit.). Illud tamen videtur MONRO, veritate & experientia edoctus, fateri l. c. Demum id a Numinis benignitate abesse videtur, quando celeberr. PLENCIZ fingit, Deum, cum mundum crearet, animalcula produxisse, quorum actio in generis solum humani detrimentum cederet.

§. XVII.

Dictis de morbis contagiosis pauca tantum addam. Cum absorptionis ope materia contagiosa corpori inferatur: hic illius transitus in omni parte contingere potest, quae vasculis abundat absorbentibus. Cutis itaque, nares, os, pul-

*Transitus
materiae
contagiosae
in corpus.*


pulmones, ventriculus huc pertinent. Cum autem frequentiora sint pulmonum atque ventriculi vitia, quando variolae morbillique naturales oriuntur, mitiora contra ea minusque frequentia, si hi morbi insitua methodo excitantur: sequitur, frequentissimum contagium naturale pulmonum atque ventriculi absorbentibus vasis contingere.

§. XVIII.

*Noxa
morborum
contagiosor.*

Licet morbi contagiosi dentur, quos breues iure dicere possis (§. VI.): attamen non difficulter intelligitur, morbos, quos generat materia contagiosa, facile nocuos & periculosos euadere. Cum enim producto in humoribus motu intestino materia contagiosa operetur; facile autem hinc vera enascatur putredo, corpori humano adeo nociua mutatio; atque praeterea eius sit indolis materia contagiosa, vt magis magisque copia & virulenta natura increfcere soleat; demum homines, ob tot admissa vitia, nimis frequenter adeo sint debiles succisque impuris referti, vt virium, ad superandam, coquendam & excernendam materiam contagiosam, non satis habeant: sponte vnicuique patere potest, quantum hic a morbis contagiosis noxae ad genus humanum redundare possit. Minuitur tamen haec noxa, quando contagium lente procedit, aegerque ipse optimis succis beneque purgatis primis viis gaudet.

T A N T V M.






1678

110X





DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA
DE
NATURA
MORBORVM CONTAGIOSORVM
GENERATIM SPECTATA



QVAM, INDVLTV
GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS
IN ALMA REGIA FRIDERICIANA

P R A
D. ANDREA E

SACRI ROMAN
POTENTISSIMI PRVSSIAE
MEDICINAE ET PHILOSOPHIAE NA
FACVLT. MED. ET PHILOSOPH. H.
IMPERIALIS ACAD. NAT. CVRIOS. I
REGIARVM SOCIETATVM SCIEN
ET MONSI

PRO GRAD

SVMMSQVE IN I
ET PRIVILEGIIS DOCTOR
D. VI. IANVAR. A

PUBLIC
IOANNES CAI
SEDINO

HALAE AD SAL

